Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 615
Quelle:
Copyright:

tinensis enim inscriptio translata videtur ab *Orat.* XXVI. Ὅτι ὁ παντος ἀνθρωπου, ὅτε παντος καιρου το περι Θεου διαλεγεσθαι. Initium: *Ad eos, qui in sermone callent. sermo nobis* &c. Sub finem, ubi *Gregorius* Philosophorum dogmata carpit, *Argent.* legit: *quod ipse dixit*, noster correcte Αυτος εφα. Pro *Gregoriano* μετενσωματωσεις, Argent. *esenorymatos*, noster saltem μετενσωματως. Et in universum castigatius est exemplar eo, quo *Adolph. Mulingus Argentorati* usus est. Deficiunt tamen in fine 7. circiter lineae ab iis verbis: *disputa de anima.* Codici praenotatum est: *Liber hic mihi Petro Lambecio Hamburgensi S. Cæs. Majestatis Consiliario, Historiographo et Bibliothecario Aulico donatus fuit a Turcis in Arce Budensi A. 1666. d. 10. Martij.* Qua de re et meminit *Comment.* L. II. p. 993. edit. *Kollar. col.* 948. et in epistola ad *Barth. Mollerum* germanica, quae in *Ad. Henr. Lackmanni Miscell. Literar. Hamb.* 1721. a p. 43. legitur. Falsus tamen in eo fuit, quod omnes IX. Sermones *Apologeticos* dixerit, et *Codici* formam 4. adsignaverit. Votum de conferenda versione hac latina cum graecis exemplaribus, quod addidit, impletum video ad calc. T. I. edit. *Billii supracit.* Ceterum, quoties reliquiarum nobilissimae Bibliothecae *Corvinianae* per universam *Europam* distractarum aliquid contemplor, illud *Martialis* subit:

Quid mirum toto si spargitur orbe! Jacere
Uno non potuit tanta ruina loco.

CXCIX. VII. E. M.

329 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 176. f. luculente, quamvis non eadem manu per totum, exaratus, et rubricis distinctus continet sequentia: I. *Incipit liber de patriarchis. Continentur autem hic libri de abraham I. De ysaach et anima I. De esau et fuga seculi I. De iacob et uita* b. *II. De ioseph I. De benedict.* (Patriarch.) *proph. I. Apoloya dauid. De nabuthe. De uerbis salom.* Opuscula haec, ut notum, *Ambrosii* sunt *Mediolan.* Episcopi Sec. IV. conscripta. Primum infit: *Abraham Libri huius titulus est. Quoniam per ordinem* &c. Deest *Liber* II. sive *allegoricus*, nec Textus in Capita divisus est, ut in edit. *Opp. Mauriana Paris.* 1686. ad quam *Codicem* exigemus, T. I. col. 281. Lectio sat proba, nisi quod Graeca infeliciter corrupit Librarius, dumque scribendum esset: *anima nostra διμερης est*, scripsit: *dei merces est.* Finis: *et bona senectute compleuit diem.*

Fol. 21. *De ysaac et anima.* Initium: *In Patre nobis sancti ysaac uel origo satis expressa est* &c. Libro huic frequentius emendationes et supplectiones adspersae sunt, quam praecedenti. Finis: